

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0188

0186

0192

0182

0197

0177

0237

0137

0287

0087

0687

Ende

Anfang

177

corrumptit. Et sicut rubigo ferro adhaerens vix recedit, ita  
invidia cum difficultate animam dimittit. Quod patet in Saule,  
qui aliquotiens reconciliatus David promisit securitatem, sed  
pacta, juramenta et promissa fregit. Nam zelus invidiae  
sine modo est, unde Saul investigabat David in altissimis  
montibus, in profundissimis vallibus, in intimis terrae visce-  
ribus. David autem, misericordia armatus, ubique mirabiliter  
evasit et in ea consecutus est sedem regni in saecula, ut  
dicitur 1. Maccab. 2.

### Vinea Engaddi.

In his insuper montibus stetit quondam illa nobilissima  
vinea Engaddi, quae germinabat carissimum balsamum. Hanc  
vineam plantaverat in loco Engaddi Salomon rex. Nam Ma-  
gister in Spec. Histor. ex ore Josephi dicit, quod regina Saba,  
quae venit in Jerusalem a finibus terrae audire sapientiam  
Salomonis, sicut habetur 3. Regum 10., attulit ei multa munera  
pretiosa, inter quae obtulit ei radicem balsami, tamquam pre-  
tiosissimum munus, quam rex monti Engaddi inseruit, et in  
vinea propagata fuit (247 A). Istius vineae meminit Salo-  
mon in Canticis Canticor. 1. dicens: Botrus Cypri dilectus  
meus mihi in vineis Engaddi. Haec vinea nunc est in Ae-  
gypto, sed quis eam hinc eradicaverit et transplantaverit, et  
de bonitate balsami et de cypris dicetur fol. 68 P. II. Legi  
in quodam peregrinali antiquo, quod quidam terrae sanctae  
peregrini curiosius in his montibus evagabantur et in quodam  
loco invenerunt surculos balsami, sed nulla arbusta. Praeter  
balsamum crevit olim in his montibus vinum praecepitum, de  
quo creduntur filiae Loth inebriasse patrem suum, ut habetur  
Genes. 19. Et si hodie montes illi colonos haberent, fructus  
pretiosissimos in copia ferre possent.

### Regressio in Jerusalem.

Igitur cum omnia praecedentia vidi semus, dorsum orien-  
talibus locis dedimus et montana contra Jerusalem ascendi-  
mus. In quadam autem curva via, nescio qua de causa, mula,